



24

1730. 3326. num. 25. P. S. 76.

36

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

DE

MINORVM RESTITV-
TIONIS IN INTEGRVM
PRIMO CAPITE

SEV

DE ÆTATE INFIRMA,

QVAM,

ILLVSTRI JCTORVM ORDINE

CONSENTIENTE,

IN PERANTIQA ACADEMIA ERFORDIENSI,

SVB MODERAMINE,

VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI AC CELEBERRIMI,

DN. ERNESTI TENZELII, JC^TI,

EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIP. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
JVDICII PROVINC. AC FACULT. JVRID. ASSESS. EJVSDEMQVE H. T. DECANI,

NEC NON CIVITATIS CONSULS PRIMARII,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET
PRIVILEGIA, RITE AC SOLENNITER,

CONSEQVENDI,

PVBlico ERVDTORVM EXAMINI,

IN AVDITORIO COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

SVBMITTIT,

OTTO JOHANNES GOTTLIEB
ZIMMERMANN, Philos. Mag.

BRESLENZO - LUNEBVRGICVS.

DIE XXVI. JULII ANNI M DCC XXX.

ERFORDIAE, Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE



DIESER LIBRO INAGARUUS VARII

MINORUM RIBA
TOMIS IN ITALIA
ET FRANCIA
DE AETATE H. IRMIA
MUNICIPACIO NOSTRA
CONSTITUTA
IN TERRITORIIS ACCEPTE PROVINCIIS
SIT MODUS
DE REBUS PERTINENTIIS
PRO PICENIIS
TI
EAM QM. ET TROQ. ET VAR. HONORAB.
PICTA
IN AUDITIONE
OTTO
KARL
DIEGO
GEOSEG
P. 60



SVMMA DISSERTATIONIS.

- §. I. Minoribus, ob infirmum eorum consilium, contra aliorum captiones, salutariter in civitatibus prospicitur.
§. II. Romanorum cura pro minoribus vigilavit, dum scil. ii primum estate tali, qua virilis vigor compleetur, majorennitatem determinarunt.
§. III. Deinde de Minorum Curatoribus, in salutem minorum, sanciverunt leges.
§. IV. Tertio Restitutionem in integrum, si minores ex lubrico etatis last fuerint, introduxerunt.
§. V. Germani, etiam veteres, de utilitate juventutis imbecillis, solliciti fuerunt; quo tempore minorenitatem finiendam esse statuerint iidem quædam dicuntur.
§. VI. Curatores porro dederunt, & ne ab illis laderentur minores, prospexerunt.
§. VII. Jure Romano postea in Germania recepto, Germani utilia, que in eo pro juventute inveniuntur, salvis quibusdam ex jure patrio retentis, receperunt non solum, sed etiam in Recessibus imperii ulterius, quod Curatores concernit, prospexerunt minoribus & pupillis.
§. VIII. His premissis, de utilissimo minorum beneficio, restituzione, in specie ex capite etatis, agitur & in illa computanda tem-

A 2

- tempus naturaliter attendi afferitur.
- §. IX. Quid in die intercalari observandum sit, dicitur.
- §. X. Quæritur an matrimonium aliquem faciat majorenem & indignum restitutione in integrum? Et resp. matrimonium non impedit restitutionem banc.
- §. XI. Contra demonstratur ex venia etatis imperata aliquem fieri majorenem, Et quedam memoratu digna de venia bac simul recensentur.
- §. XII. Effectus venia etatis proponuntur. Et quæstio ad affirmative deciditur: an is, qui veniam accepit, possit petere ut a Principe restituatur contra veniam banc imperatam?
- §. XIII. Alia quæstio adseritur: an is, qui in Germania in hoc territorio majorenus est, habebatur in alto pro tali, in quo iusta leges ibi latus nondum iustum etatem consecutus, si negotium quoddam ibi gerere debeat, annon potius sit minoris & iuribus fruatur minorum? Adseratur hoc.
- §. XIV. Omnis tamen minor, qui restitutionem petit, debet infra etatem probare.
- §. XV. Hec etas vero, interdum prodest aliis etiam, uti heredibus minorum, non regulariter fiduciis oribus, nisi in casibus exceptis.
- §. XVI. Licet minores, restitutio nem impetratur, last esse debant in ipsa minorenitate adepta tamen majorenitate, adhuc intra quadriennium restitucionem petere possunt, quod ipso currere a tempore scientie adseritur.
- §. XVII. Ceterum ob etatem infirmam non restitutur, qui pubes factus negotium gestum iuramento confirmavit, ob artib. sacramenta puberum C. si adv. vend.
- §. XVIII. Nec ad hoc etatis auxilium convolat minor, qui in dolo versatur, vel ob alias causas eidem hoc denegatur.
- §. XIX. Concluso adjicitur, quæ lectoris de hoc specimine benigna sententia expetitur & pro omni etate ad Deum preces mittuntur.



J.N.

J. N. S. S. T.

§. I.



Inorum ætas infirma est, vehementi ac parum provido impetu fertur, flagrat non raro cupiditate rerum, veram felicitatem hominum labefactantium magis quam augentium, in promissa facilis, spei plena, liberalitatis famam captans, in amicitiis ambitione colendas prona, ac diffidere ne scia: hinc fit, ut facile illecebris corruptelarum ætas hæc irretiatur pariter, atque homines scelesti istius ætatis facilitati insidias struant & juniorum dispendiis locuplerari cupiant; interdum, exultante licet aliorum malitia, juventus negotia, quæ gerit, æqua lance non ponderat & lubrico ætatis labitur. Sane, hanc ob caussam in civitatibus, in quibus salus civium suprema lex est, in salutem minorum est introductum, ut eorum imbecillitas virorum præstantissimorum prudentia firmetur, actiones, usque inconsultus ille juvenæ impetus deferunt, regantur, contra improborum, istis imminentium, molimina muniantur, mores eorum recte ad virtutes formentur, atque his formatis isti utilissima re-publicæ membra evadant. conf. P V F E N D. de Jur. Nat. & Gent. lib. 3. cap. 6. §. 5.

§. II.

Cura hac singulari pro juventute vigilarunt Romani, gloria in eo multas alias gentes longe superantes;

A 3

tes; quippe in sua republica varia, de ætate, cura & restituzione in integrum minorum, maxime his proficua, instituerunt. Ut ordiar ab ætate, ansam quidem haberem quædam hic dicendi de Romanorum adcurata omnis humanæ ætatis definitione, ad mortalium intellectum, prout ille debilis est primum, postea firmatur & tandem perfectior redditur, respiciente, de qua conf.

JACOB. GOTHOFREDI in *Comment. ad Cod. Theodos. lib. 2. tit. 17.* sed sollicitus ego saltem de minorum ætate, reliqua, quæ GOTHOFREDI de ætate in genere tradit, silentio prætereo. Lege autem Lætoria Romani minorenitatis annos finierunt; Marcus enim Lætorius Tribunus plebis A. V. C. CCCXC. ætatem XXV annorum ut legitimam definivit, secutus in hoc ætatis termino Hippocratem, cuius auctoritatē multum Romæ tribuebatur *l. 12. D. de stat. hom.* & ipsum usum, qui doceuerat, ante illud tempus consilium juventutis parum, firmum esse, tunc vero vigorem completi virilem *l. 1. §. 2. D. de minor.* vid. EVERHARD. OTTO in *Comment. ad pr. J. de Curat.*

S. III. De Curatoribus, quorum auxilio Romani adolescentes suos regi voluerunt, memoratu dignum est, magistratus minoribus haud invitis dedisse Curatores, nisi lex in quodam casu speciali juberet, sed ipsos minores sibi petiisse tales; quæ thesis, clarior fiet, si progressus, quos cura penes Romanos habuit, paucis exposuero verbis. Lex XII. tabularum, dum ætati prospexit, tantum pupillis dedit tutorem, quibus pubertas adferebat tutelæ finem, indeque pupilli insuam tutelam pervenire

nire dicebantur, nec eis dabatur curator; et si minoribus, quod etiam non opus esse putabatur ob paupertatem seculi, quo erant integri adolescentium mores: postea, luxuria invalesce, perierunt boni mores & ea propter restituendæ disciplinæ caussa lata est lex citata Lætoria, quæ præcepit Curatores dari adolescentibus lascivis aut dementibus; inde si quis a Prætore postularet alicui dari Curatorem, is ejus lasciviam aut dementiam probare tenebatur, alioquin lex dari Curatorem non sinebat, atque id jus perturavit usque ad Marcum Antoninum, qui primus cavit, ut deinceps omnes adulti curatores accipere possent non cauissis redditis.
 vid. NOODT in Comment. ad D. tit. de minor. & SCHVLTING in Notis ad Caji Instit. lib. 1. tit. 7. Idem Antoninus & ejus successores constituerunt, ut, si tutor esset rationes redditurus, minor Curatorem peteret, neque antea rerum suarum nancisceretur administracionem. l. 5. §. 5. l. 33. §. 1. D. de administ. tut. quorsum spestat vox, hodie, in l. 1. §. 3. D. de min. similiter ad alias cauissas, si debitum ei solvendum, Curatorem, ut negotium perficiatur, sibi petit minor, quem velit & ad certam cauissam l. 7. §. 2. D. de min. l. 2. §. 5. D. qui pet. tut. at qui res nullas administrandas haberet, Curatoris auxilio non indigebat, hinc si res eorum exigat, l. 6. C. qui pet. tut. & desiderantibus dari dicitur. l. 13. §. fin. D. de tut. & cur. dat. In item Curator datur minori, si illum non petat. l. 1. l. 7. C. qui pet. tut. nam lis intendi & excipi debet Curatore consentiente, adeo, ut sententia, contra eum indefensum lata, sit ipso jure nulla. l. 4. C. si advers. rem judic. Extra has & similes cauissas, minores

nores sine curatore constituti frequenter occurrunt. l. 3.
C. de in integr. restit. vid. OTTO laud. in Comment. ad §.
2. J. de Curat.

§. IV.

Quod ad restitutionem minorum in integrum at-
tinet, allegata lex Lætoria auxilio quidem minoribus
veniebat, si essent alterius versutia circumscripti; ast
nondum cautum erat minoribus, quando sola sua sim-
plicitate & lubrico consilii, cui obnoxia eorum ætas,
capti erant. Igitur restabat adhuc Prætori, quod cor-
rigeret, atque ex æquitate sua ediceret promitteretque,
se in integrum restituturum ita circumventos tutelam-
que eorum in se recepturum. Verba Prætoris edicti
exhibit VLPIANVS in l. 1. §. 1. D. de min. quæ sunt:
quod cum minore, quam XXV. annis natu gestum es-
se dicetur, uti quæque res erit, animadvertam: anim-
advertisendi voce utitur, quia ipse sibi cognitionem re-
servat, nec actionem singularē sicut in causa metus
dolique dat, eratque forte in arbitrio ejus, quam vellet
permittere actionem. vid. SCHVLTING. in enarrat.
jur. Pandætit. de min. Hæc restitutio minoribus lapsis
utilissima fuit hacque adjuti pericula varia, rebus eo-
rum imminentia, exaritare facile potuerunt, atque
eam ob caussam hæc apud Romanos semper in usu
permansit, id quod vel inde liquet, quod & libris Ba-
silicorum singularis titulus de restitutione minorum, nem-
pe tit. 6. lib. 10. insertus fuerit.

§. V.

Qualem rationem minorum habuerint Romani
ex dictis elucet. Germani vero nostri, de quibus nunc
quae-

quædam dicenda, etiam juventutem non neglexerunt, qui eandem multis captionibus suppositam esse non ignorabant. De cura eorum pro minoribus testantur literarum monumenta; non negoti tamen antiquorum Germanorum instituta a Romanorum sëpe discedere, quod ut innotescat initium de majorenitate facturus sum. Ad hanc æstimandam, quum antiquissimi Germani literas non haberent, quibus nomina Infantum consignare possent, habitum corporis considerabant & ex eo pubertatem æstimabant. Successu temporis, dum literæ innotescabant, certitudo quædam ætatum per scripturas stabiliri cœpit, & tunc magistratus in pubertate annorum numerum attendere convenientius esse crediderunt, omissa vetere inspectione aut saltem in subsidium retenta. In ipso tamen annorum numero non convenerunt invicem omnes, sed variarunt; singulæ enim civitates, ex eo quod plerumque in ipsis factum, jus & consuetudinem eliciebant. Duæ vero præcipuae gentes in Germania erant, Suevi & Saxones, cæteros populos quasi in duas factiones distrahentes duplexque jus universale æmulatione sua facientes; hinc in illis locis, in quibus jus Suevicum vigebat, annus XVIII. pro fine ætatis minoris habitus fuit vid. Spec. Suev. cap. 323. Saxones contra annum ætatis XX. elegerunt & unum, intra quem restitutio petenda, adjecerunt. vid. Spec. Sax. lib. 1. art. 42. Germaniam intrantibus juribus, canonico & romano, Suevi confessim majorenitatem juris romani & canon adsumserunt, id quod ex cap. 323. Spec. Suev. videre est. Saxones patrii juris tenaciores annum XXI.

B

se-

semel receptum retinuerunt. vid. LEYSER in medit. ad Pand. Spec. 327.

¶ Progredior ulterius ad curam, qua antiqui Germani prospexerunt minoribus. Quamdiu iidem agros communiter possederunt nec bona propria, praeter arma & supellestilem exiguum habuerunt, nullos Curatores constituerunt; orbati enim parentibus a proximis suis educabantur. Permanserunt in hac simplicitate maiores nostri, donec, sublata prisa bonorum immobilium communione, privati sibi dominia agrorum adscriberent. Tunc si quis, qui fundum habebat, moriebatur, liberis impuberibus relictis, dominium in hos jure haereditario transmittebat, & administratio horum bonorum ad proximum consanguineum idoneum spectabat, qui agros colebat, fructus adquirebat atque ex illis pupillum alebat, cui deinde, simul ac ipsis res suas gerere valeret, praedia ipsa cum necessaria supellestile instrumentoque rustico restituebat, ad rationem de fructibus perceptis reddendam non obligatus. vid. LEYSER. in spec. alleg. Tutela ergo legitima penes Germanos erat praecipua, testamentaria carebant isti, dativa vero etiam obtinebat. vid. SCHILTER in exerc. 37. ad Pand. §. 63. & THOMAS. in not. ad Inst. tit. de tut. Inter tutorem & Curatorem non quidquam discriminis intercedebat. vid. THOMAS. all. loc. Ita voluerunt Germani minores adjuvare Curatoribus; sed, ut iidem quoque commodis inservirent minorum, caverunt, id quod percipi potest ex cap. 314. 315. & 316. spec. suev. ubi dicitur, infirma esse actitata tutorum si sine utilitate

te

te minoris aliquid alienaverint ; unde magistratum
causæ cognitionem in negotiis minorum, a Curatori-
bus gestis, sœpe suscepisse, eaque, si illis utilia visa, con-
firmasse, si noxia, reprobasse, recte infertur. vid. G V N D-
LING. in Dig. tit. de min.

§. VII.

Postquam jus Rom. in Germania receptum, cum
eo, quæ in utilitatem juventutis in eo disposita sunt,
ad Germanos simul, salvis quibusdam ex jure patrio
retentis ab iis, pervenerunt quidem, ulterius tamen ad-
huc in provehenda infirmæ ætatis hominum utilitate
laborandum esse iidem arbitrati sunt ; hinc in legibus
recentioribus, quas Recessus imperii vocant, varia san-
civerunt, ex quibus quaedam recensebo. Constitutum
est in Reformat. polit. de ann. 1548. tit. 31. §. 1. & de
ann. 1577. tit. 32. §. 1. Dass denen Popillen und Minder-
jährigen iederzeit, bis sie zu ihren vogtbahren und
mannbahren Jahren kommen, Bormünder und Vor-
steher gegeben werden sollen. Quae in his Recessibus
in utilitatem debilis aetatis disponuntur, JCtis quibus-
dam, quibus & ego calculum meum adjicio, ansam sta-
tuendi suppeditant, vix esse hodie, quod scilicet esse
etius ad ipsam rem respicientes concernit, admittendam
differentiam in plerisque Germaniae provinciis in-
ter tutelam & curam, & sic antiquos Germanorum mo-
res, in hoc articulo, perpetua observantia plerumque
penes nos custodios fuisse. Innituntur isti JCti hisra-
tionibus: 1) quod in idiomate germanico vocabula, di-
stinguentia tutores & curatores, non inveniantur, sed
iidem promiscuo nomine derer Bormünder, Pfleger,
Bögte,

Vögte, Pflege-Väter insigniantur. 2) Nulla adcurata
 distinctio inter tutores & curatores in citatis legibus
 adhibeatur, & generalis dispositio, qua tutori & cura-
 tori officio suo fide omni detungi injungitur, reperi-
 tur 3) minorē ejusque bona hodie alio modo, post
 annum XIV, quam ante illum, non tractari experientia
 edoceat, 4) actio tutelæ durante tutelæ administratio-
 ne detur, 5) inter auctoritatem tutoris & curatoris con-
 sensum hodie nihil discriminis intercedat. Quasdam
 differentias, ab iis JCTis, qui contrariam tuentur sen-
 tentiam, hodieque, uti volunt, obtinētes inter tutores
 & curatores, in medium adferri, certum est quidem;
 verum recta contemplatione est expendendum, annon
 propterea supersint, quod rem non tangent, sed in só-
 lo conceptu subsistant, adeoque prudens in verbis
 facile condescendat, deinde hæ differentiæ etiam
 non ad curatorem minoris & sui juris, sed filii familias,
 pupilli, majorennes, vel corporis mentisque defectu la-
 borantis spectant. vid. BEYER. in Diff. de hodierna tu-
 tor. & Curat. differentia. add. GAIL. lib. 2. obs. 96. MYNS.
 ad §. 5. J. de Curat. VULTEJ. ad §. 1. J. de Curat. MEV.
 ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 7. art. 1. n. 13. Redeo in viam: In
 Ordin. all. pol. de an. 1548. tit. 31. n. 2. & dean. 1577. tit. 32. §.
 2. injunctum, daß ein jeglicher Bormunder, er sey gleich
 Testaments-weise verordnet, oder durch das Recht, oder
 Richter gegeben, sich der Bormundschafft nicht unter-
 ziehen soll, die Verwaltung sey ihm denn zuvor durch
 die Obrigkeit decerniret und befohlen. Inde omnes
 tutores sunt confirmandi cum decreto magistratus, qui
 in mores & vitam tutorum curatorumque inquirit, &
 ne

ne improbi rerumque pupillarium dissipatores tutelam
subeant, curat. In §. 3. tit. 32. Ordin. polit. de ann. 1577.
tutores & curatores, administrationem suscepturni ju-
bentur cautionem præstare, rem pupilli & adolescentis
salvam fore: Er soll rechtmaßige Caution und Ver-
sicherung thuen, daß er seinen Pfleg- Kindern und ihren
Gütern getreulich und ehrlich vorseyn = = wolle. De-
mum in Reformat. pol. de ann. 1548. §. 3. tit. 31. exigitur
tutore: Dass er jährlich, auf Forderung der Obrigkeit,
gebührende Rechenschaft thuen, um seine Verwaltung
rede, und Antwort geben solle. Quum vero hoc mo-
do nondum satis utilitas pupillorum promota esse vi-
deretur, in ordinatione pol. de ann. 1577. §. 3. tit. 32. ple-
nius illis prospectum fuit: Er soll jährlich, nicht allein
auf Erforderung der Obrigkeit, sondern auch selbst, ver-
möge seines anbefohlenen Amtes = = gebührliche Rech-
nung anbieten und thuen, um seine Verwaltung rede
und Antwort geben. Ex enarratis his, quæcunque ad-
huc conducere poterant pupillis & minoribus, legibus
pristinis addita ab Imperatore & Statibus suis, clarum
fit testatumque.

Nunc ad insigne illud, minoribus indultum, resti-
tutionis in integrum beneficium me converto. Resti-
tutio haec locum habet, quando minor, in negotio ge-
sto, lubrico aetatis lapsus, & laesus fuit; hinc aetas in-
firma, gestum negotium & inde orta laesio sunt resti-
tutionis fundamenta. Optarem, ut tria haec capita
in specimine meo inaugurali absolvere possem; sed
veritus, ne limites dissertationis, tractando amplissi-
mam

mam hanc materiam, egrederer, in primo restitutionis capite, seu in infirma minorum aetate adquiescere malui. Requiritur ergo aetas infirma minorum: minoris vocabulum vero in jure dupliciter sumitur, vel late, ita, ut comprehendat omnes, qui XXV. annum non dum impleverunt, sive sint illi puberes sive impuberes, infantia majores, vel minores; vel stricte, pro illicis tantum, qui quidem pubertatem impleverunt, sed nondum XXV. annum, in qua significatione minores opponuntur impuberibus sive plipillis. Hic loci, uti mores quoque nostri postulant, & insimul jus romanum, lata significatione utimur, ita, ut infantes, puberes, & pubertati proximi *l. pen.* *D. de min.* *l. 2.* *E 3.* *C. si tur.* vel *Cur. interv.* *l. 4.* *E 5.* *C. si adv.* *rem jud.* etiam in utero adhuc existentes comprehendantur, *l. 45.* *D. de min.* sive masculi sint, sive foeminae, *pr. D. de Curat.* Hoc minorenitatis tempus naturaliter, ita ut aliquem XXVI. annum attigisse necesse sit, non civiliter computatur. vid. *L A V T E R B. in coll. theor. pract. tit. de min.* §. 3. His cognitis, de casu sequenti non adeo difficulte negotio judicari poterit. Aliquis nempe petit, se restitui, quia dicit se laesum esse lubrico minoris aetate, adversarius negat, esse minorem, quod dicit, iam cœpisse postremum diem anni XXV; utrum placet, maiorem esse, ob inchoatum diem ultimum, an minorem, ob nondum finitum? hoc visum est *V L P I A N O* in §. 3. leg. 3. *D. de min.* caussanti, tempus numerari a momento in momentum, id est, ab hora ad horam, jus ita certum, ratio vero hujus si queratur, præsertim, quia aliter observatur in *l. 6.* *D. de usurp.* *E usurp.* hæc in eo comprehen-

henditur; interest, utrum tempus naturaliter an civiliter computetur, prius sit in leg. 3. all. in qua Prætor sequitur naturalem æquitatem, posterius sit in l. 6. et. in usucacione, quam a jure civili & lege XII. tabularum formam accepisse JVSTINIANVS auctor est pr. J. de usucap. Idemque l. 5. D. qui test. fac. poss. observatur in testamento, cuius forma similiter a jure civili & lege XII. tabularum proficiscitur. vid. NOODT in Comment. ad tit. pand. de min.

S. IX.

Dies intercalaris interdum ætatem definiendam reddit difficilem, unde de eo non minus quædam annotanda erunt. Dies hic nihil aliud est, quam collectio horarum & momentorum, quæ singulis annis ex spatio XII. mensium supersunt, singulisque IV. annis unum diem constituunt, qui proinde, dum intercalatus fuit ad diem VI. Kal. Mart. seu XXIV. Febr. ille, que dies VI. bis numeratus, bis sextus quoque dictus fuit; hodie rejicitur in finem mensis. Quo præmisso, dico, diem bis sextum pro uno die haberet in computatione annorum: quum enim in materia restitutionum tempus computetur naturaliter, non potest non dies bis sextus intermedio tempore pro uno die haberi, quia revera continetur in annis elapsis & vera eorum partio est. Natus igitur quis est die bis sexto, sed postiore, deinde anno ætatis sua vigesimo quinto ad finem eunte, ipso natali die, id est sexto Kalendas Martii, eadem hora, qua natus, aliquid cum eo gestum, & inde læsus petit restituiri, quæritur an potest, quæstio est, an, quia est natus die interculari, sit transeundum ad

sc-

sequentem diem? ait VULPIANVS in leg. 3. §. 3. D. de min. quod & confirmatur l. 98. D. de verb. sig. utrumque diem bis sextum pro uno die haberi; & inde nihil referre, utrum sit priore die, an postiore natus, nec eo ipso fieri transitum ad sequentem, vid. SCHVLTING. in enarr. jur. Pandect. tit. de min.

§.

X.

Quamvis autem haec juris Romani de ætate perfecta definitio multorum populorum usu comprobata sit; sunt tamen, quibus placuit, maturius ad ætatem eam minores perduci pro vario soli, hominumque genio, uti de Germania nostra quædam supra commemorata sunt, & in ejusmodi provinciis ex tempore illo, quo ad ætatem perfectam pervenerunt homines, licet sint minorennes ex jure Romano, læsionem ex lubrico ætatis non amplius posse allegare tam certum est quam quod certissimum. Sunt insuper, qui pro majorenibus habentur, licet nec dum compleverint annorum numerum, lege Romana vel alia ad majorenitatem constituendam definitum, idque vel ob veniam ætatis impetratam, vel, uti quidam volunt, ob nuptias, & tales itidem frustra de læsione ex imbecilli ætate conqueruntur. Verum enim vero, quod matrimonium concernit, id forsitan erit intelligendum, ex sententia Doctorum, adeptam majorenitatem ex illo contracto deducentium, de illis locis, in quibus lege vel moribus ita introductum: quippe jure Romano matrimonium a minorenne initum non largitur majorenitatem, & minori, licet liberi ex legitimo progeniti matrimonio professent ad id, ut maturius posset ad honores ad mori-
veri.

veri, singulis annis pér singulos liberōs demissis vel remissis ex lege Jūlia & Papia; haud tamē ad acquirendam rerum administrationem & a cura liberationem, ut maturius pro majorenne haberetur, conducebant. *I. 2. D. de min. I. 12. C. de admin. tut.* Germaniam nostram si intuear, non ignoro patriæ potestatis vinculo filium liberari si nuptias iniverit & separatam oeconomiam instituerit, vel si fortunarum suarum is ipse, absque nuptiis etiam certam sedem fixerit, filiam pér solas nuptias; *T H O M A S. in diff. de quasi emanc. germ.* exinde tamen haudquam inferre sustineo, jure majorennum gaudere tales homines & beneficio restitutionis privandos esse; potius, quia non tantum in contractibus, sed & in negotiis judicialibus magna maritus minorennis ex lubrico ætatis læsione adfici potest, etiam in his ipsi succurri manifesta æquitus juris Prætorii postulat, ne ob solum matrimonium, quod non raro ex præcipitania juvenili contrahit, omni legum beneficio destituatur, ac, qui tali miseria adflictus, commiseratione dignissimus est, quasi is delictum perpetrat, puniatur. *vid. S T R Y K. iu*
usu mod. tit. de min. §. 7.

S. XI.

Venia ætatis adepta aliquem majorenem fieri econtrario non est dubitandum. Veniam illam ex jure romano alii petere non possunt, quam qui vicesimum ætatis annum compleverunt, sin masculi sint; quia hic annus adolescentiae finis & juventutis terminus credebatur; sin foeminæ, annum decimum octavum; quia etiam in pubertate ita observabatur, ut ætas foeminarum biennio viros pubertate præcederet.

C

In

In Germania nostra, quum annale tempus illud sit saltem juris positivi romani, in arbitrio Principis erit, ad quem potestas ferendi leges spectat, an velit annos sequi jure romano præfinitos veniae dandæ, an ab iis recedere. Sane, si quis peteret veniam illam, annos, quidem agens saltem XVII. sed optimis virtutibus præditus, quare Princeps non his precibus annueret istius & non magis habéret rationem prudentiæ quam annorum? Hoc non video. Cæterum Romanos etiam in danda hac venia vigilissimos fuisse nec ad numerum annorum tantum respxisse, id quod & hodie procul dubio cbservatur, exinde adparet, quia jure hoc romano veniam hanc saltem impetrabant, quos commendabant morum instituta, vitae honestas, probitas, mentisque solertia, ut tuto ipsis, tanquam industriis, sobriis, & res suas bene gesturis rerum suarum administratio videretur concedenda, dummodo morum honestatem legitimis clarisque commonstrarerint documentis l. 2. C. de his qui veniam et. impet. Nullus, Præter Principem, id est eum qui majestate splendet, & sic in imperio romano olim, & hodie in Germania præter Imperatorem & Principes quoque, uti jurisprudentia publica docet, Imperii, vi superioritatis territorialis in suis territoriis, veniae hujus concedendæ potestatem habet, quum re ipsa per ejus concessionem fiat relaxatio vinculi juris communis & jus singulare certæ personae intuitu introducatur, unde & principale beneficium, principalis auctoritas vocatur jure romano l. 2. 3. C. de his qui ven. etat. ac ambitiosa, seu potestatem decernentium superantia, vel, ut RÆVAR-
DVS

DVS lib. 5. var. cap. 6. explicat, contra jus & aequum interposita, Principes censuerunt Consulium ac Praesidum decreta, quibus illi permittebant minoribus rerum suarum administrationem, dum ne ipsi quidem, nisi per raro, eam minoribus solebant concedere l. 3. D. de min. non tamen dubium, quin de morum honestate industriaque cognoverint Romani magistratus, ut de compertis, ad Principem relatione deinceps facta, daretur aetatis venia ab illo aut denegaretur. l. 2. C. de his qui ven. aet. conf. JACOBVS GOTHFREDI in Comment. ad Cod. THEODOS. lib. 2. tit. 17. SCHULTING. in enarr. jur. Pand. tit. demin. & STRYCK in usu mod. tit. demin. §. 9.

Ætatis veniae hujus impletaræ effectus est, ut minor post eam pro majore habeatur, ejusque tunc gesta perinde firma maneat, ac si XXV. anni non Principis beneficio suppleti, sed naturaliter ab eo completi fuissent contractus tempore; sic ut contra contractum talem restitutionem in integrum obtinere nequeat, etiamsi minusdonee res suas administrasse probetur, ne hi, qui cum ejusmodi homine contraxissent, principali viderentur auctoritate circumscripsi, l. 1. C. de his qui ven. aet. imper. eo excepto, quod immobilia sine decreto alienare nequeat aut hypothecæ obligare, hac in parte manens exæquatus cæteris minoribus, l. penult. C. de his qui ven. aet. imper. nisi & ipsa alienandorum immobilium licentia ipsi nominatum a Principe justis ex caussis fuerit data. vid. STRUV. in Syntag. jur. civ. exerc. 8. aphor. 53. ibique MÜLLER in not. Sed

quæritur, si is, qui veniam accepit, observet, se non satis ad res suas administrandas idoneum esse, ideoque petat contra veniæ impetrationem restitutionem in integrum? & respondetur, si lubricum ætatis adhuc dureret & læsio metuenda, dandam esse restitutionem; quia tunc temporis, quo petebat, erat minor, ergo ipsa hæc petitio & impetratio auctus in minore ætate gestus erat; nam minor erat, quum privilegio ornatur majoris, ergo si in eo actu læsus, restitutionem ei a Principe vix denegatum iri mihi persuadeo: interim hæc restitutio non datur contra auctus medio tempore, ex quo veniam ætatis impetraverat, gestos, quippe quos egit ut major & alias innocentes facto ipsius Principis damnum sentirent. vid. COCLIVS in jur. cont. tit. de min. qu. 3. § 4.

§. XIII.

Contingit interdum in Germania nostra, in qua varia sunt Principum territoria, ut is, qui ex impetrata ætatis venia majorennis est in hoc territorio, aut, qui secundum legem provinciæ, in qua degit, majorenitatem circumscribentem pauciore annorum numero habet, in alieno territorio sub alio magistratu, negotium tam contrahendo quam alienando suscipere tenetur, ubi ad plures annos se minorenitas extendit, hinc quæritur an talis in ejusmodi loco majorennis, & sic non dignus privilegiis minorum ibi censeatur? Sunt qui adfirmant, dum statuta personalia egredi posse territorium statuentis arbitrantur, atque adeo qualitatem personæ impositam a lege provinciæ ubique eandem comitari, adque bona ubicunque sita conditionem

ma-

majorenitatis extendi, utentes argumento l. 9. D. de postul. ubi infamis ex judicis sententia ubique postulare prohibeatur, item, quod qualitas imposita tutori a Prætore se extendat ad administrationem bonorum ubique sitorum l. 21. §. 2. D. de excusat. iut. Verum hoc assertum sufficientibus rationibus haudquaquam est munitum, ergo potius est, ut contrarium tuear adfirmemque, veniam ætatis ab hoc Principe impertitam alium Principem non stringere, & majorenitatem etiam, a lege hujus provinciæ inductam, porrigi non posse ad aliud territorium, ubi de majorenitate aliter dispositum, sed in hoc hominem, alibi licet majorenem, frui beneficio minorum & restitutione in integrum, si scil. is laesus fuerit; nam uti realia, sic & personalia a potestate statuentis vires accipiunt, potestatem vero statuentis esse territorio limitatam, nemo ibit, leviter etiam imbutus principiis juris, inficias, atque ita ratio nulla adest, cur habilitas a Principe vel per legem data privato cuidam, vires extendat per ea loca, in quibus contrarium quid circa personarum qualitatem lege caustum. Sane Princeps personam, domicilii intuitu sibi subiectam, habilem ad actus gerendos declarans, alterius provinciæ leglatorem, potestate parem, cogere nequit, ut is legibus alienis pareat. Neque obstant argumenta contraria, utpote quæ pertinent ad magistratus Romanorum, in quibus non mirum hæc obtinuisse ita; quia his communis unus Princeps imperabat, qui poterat singulis hanc legem, ut alter alterius decreta servaret, dicere, quæ omnia ad statum nostrum Germaniæ non recte transferuntur. Porro & hunc casum

C 3

pro-

proposituisse operæ pretium erit. Quidam domicilium suum ex provincia, cuius lege v. g. anno XXI completo major factus erat, bona fide transfert in aliam regionem, in qua nemo nisi absolute XXV annorum curia major habetur, quæritur an ex novi domicilii jure incipiat iterum minorenus esse & particeps fieri restitutioonis in integrum cum aliis ejusdem regionis civibus minoribus temeritate juvenili lapsis? Et hoc itidem a me defenditur; quia, dum is in alio territorio sibi fixam sedem fortunarum suarum constituit, legibus etiam hujus regionis se subjecit advena hic recens, sed vicissim ornatur omnibus emolumentis, quibus cives hujus regionis fruuntur.

§. XIV.

Omnis minor tamen, ubicunque locorum, de læsione ex lubrico ætatis illata conquerens, restitutio nemque inde petens, ætatem probare debet, dum in ea fundamentum intentionis suæ ponit. Hæc ætatis probatio non modo per testes fieri potest *l. 2. §. 1. C. de his qui ven. et. impet.* qui præsentes erant quum ipse hic minor in lucem ederetur, sed etiam per instrumenta, per libros baptismales, ex more jamjam inter Christianos recepto: memoratu vero dignum est, quod librorum horum intuitu optime monet *BÖHMERVS in jur. paroch. Sect. 4. cap. 1. §. 30.* baptismum nempe ex iis recte probari quidem, parocho tunc testimonium de facto suo proprio præbente, ast haud adcurate ipsum momentum temporis nativitatis, parocho tunc ex relatione aliorum aliquid attestante saltem. Porro per professionem parentum probatur ætas; in ætate enim probanda

da eorum pro liberis testimonium admittitur. *Cap. 3.*
X. qui matr. accus. poss. præsertim illa professio parentum prodest, quam tempore nativitatis apud acta faciebant, quum tunc nulla fraudis subesset suspicio, incertumque prorsus, an profuturum liberis aliquando esset, an nocitum aetatis perfectæ implementum, idemque juris videtur esse in ea privata parentum annotatione, qua liberorum nativitatem observare solent, maxime, si jam defunctis ipsis scripturæ tales producantur: illa vero parentum dispositio de liberorum aetate suspicione laborat, quæ eo tempore interponitur, quo de restitutione controversia est, providerique potest, an lucro, an damno futura liberis sit aetas sua; idcirco Judicis arbitrio committitur merito, quantum illi testimonio tribuendum. vid. LAVTER. in coll. theor. pract. lib. 4. tit. 4. §. 12. STRUV. in Syntag. jur. civ. exerc. 8. aphor. 43. ibique PETER MÜLLER.

§. XV.

Silentio quoque non est prætereundum, minorum aetatem infirmam interdum aliis quoque prodesse: nimirum beneficium restitutionis, minoribus indulsum, est ex numero eorum, quæ esse mixti generis dicuntur, seu, licet restitutio illa saltem tribuatur minoribus ex lubrico aetatis laesis, singulari tamen ex dispositione legis ad eorundem transit heredes l. 18. l. 19. *D. de min. & l. 5. C. de temp. in integ. rest. vid. HERTIVS in Opuscul. tom. 3. Diff. de transit. privil. person. ad alios.* Atque haec restitutio non tantum successoribus universalibus, sed singularibus etiam competit, adeoque, si minor rem, cuius intuitu captus erat, v. g. servitutem ei im-

imponendo, legaverit donaveritque recte illius successores restitutionem petierint, quo res v. g. a servitutis onere liberaretur l. 24. pr. D. de min. l. 25. D. de admin. & perit. tut. non quidem ita, ac si cum ipsa re v. g. donata legatave transiret restitutio ista; sed quia migrat in successorem ut jus cessum cum ipsa re, ita, ut cedens intelligatur ex dispositione juris transtulisse omne jus, quod habebat ad rem ipsam, licet hoc speciali jure sibi competit. vid. VINNIVS. in select. quest. jur. l. i. qu. ii. Fidejussoribus contra non conductit ætas infirma minorum, ut restitui possint ex minorum persona, tot. tit. C. de fidejuss. min. quum enim fidejussor securitatem promittat creditori omnem, si minor non solverit, omnino is tenebitur, sive solutio deficiat alias ob causas, sive ob restitutionem minoris, quid? quod creditor sciat esse hunc minorem, qui facile restituitur; hinc in primis hunc eventum meruisse & in eum sibi cavere voluisse videtur. Sunt nihilominus casus in quibus restitutio minoris fidejussoribus utilis esse potest, scilicet siminor dolo adversarii fuerit læsus l. 2. C. de fidejuss. min. deinde si fidejussor intercesserit pro minore certam qualitatem præ se ferente, quam postea beneficio ætatis exxit, veluti tanquam pro defensore alienæ litis l. 51. D. de procur. ratio est hujus asserti, quia minor hac restitutione simul definit esse defensor, qui solus fidejussoribus cavebat, non ergo fidejussor liberatur, quia beneficium ætatis ad eum extenditur, sed quia tota caussa fidejussionis, defensio nempe, abolita est. Tertio, si adita hæreditate a minore, hic quasi heres contraxit & fidejussorem dedit, postea abstinet obtenta resti-

stitutione, tunc fidejussor obligari esse desinit; quia non
 nisi pro herede fuit obligatus l. 2. §. 1. D. de admin. tut.
 Quarto ætas minoris in fidejussore non negligitur, cum
 minor obiit & heredem reliquit, l. 18. §. ult. D. de min.
 qui simul fidejussor fuit l. 95. §. 3. D. de solut. sufficit
 enim, quod certa ratione ille, qui simul fidejussor est,
 minorem tanquam heres repræsentet, & jus eo mo-
 mento, quo minor læsus, natum sit. vid. COCCEJVS
 in jure contr. tit. de min. qu. 9. & CORNELIVS ab ECK
 in princ. jur. tit. de min. §. 7. Socio autem vel consorti
 litis majori non prodest ætas minoris socii & ejus resti-
 tutio l. un. C. si in comm. ead. cauſſa nisi cauſſa connexa
 fuerit & individua l. 47. §. 1. D. de min. i. e. minor resti-
 tuendus effectus restitutions hanc sentire plene potue-
 rit sociis & litis consortibus exclusis. Hæc quæſtio
 anceps est quoque tangenda in hoc §. utrum solis pa-
 tribus familiarum an etiam filiis succurri debeat?
 Hanc quæſtionem multis tractat. VLPIANVS in l. 3. §.
 4. D. de min. sed ego paucis agam. Si Edicti verba con-
 sideramus, late patent, verum dubitationem movet,
 quod si quis dixerit, etiam filiofam. in re peculiari sub-
 veniendum, possit esse metus, ne per eum etiam majo-
 ri subveniatur, i. e. patri ejus, id circa quod contrahens
 cum filiofamilias duos habet obligatos, id est patrem
 de peculio, jure Praetorio, & jure civili in solidum fi-
 liumfam: Jam si filius fam. obligatione liberatur, tam
 videtur pater liberari quam filius l. 43. D. de solut. quod
 nequaquam fuit Praetori propositum; prætor enim
 minoribus auxilium promisit non majoribus. Et hæc
 est dubitatio. Sed quid adeam Vlpianus respondet?
 putat is patrem quidem, si conveniatur ex filii contra-
 stu,

D

etu, non restitui; sed filium fam. si ispe conveniatur, restitui ex his caussis, ex quibus ipsius interest, cæterum filii restitutionem non prodeesse patri, ideoque eum posse nihilominus conveniri. Non obstat lex 43. dicta, quia loquitur de veris liberationibus, quæ sunt jure civili, quales non sunt quæ jure Prætorio sunt l. ult. D. de duob. reis Hæc tamen fallunt in l. 1. & 2. C. de filio fam. min. vid. NOODT in Comment. ad Pand. tit. de min. add. BRVNNE MANN in Comment. ad hunc §. leg. 3. all. qui varias quæstiones hic pertinentes resolvit.

S. XVI.

Restitutionem vero impetraturi omnes minores læsi esse debent in infirma sua ætate: certum tamen insimul & hoc est, eis, consecuta majorenitate, tempus quoddam restare adhucdum, intra quod, si in imbecilli ætate jacturam rerum suarum fecerint, restitutionem in integrum instituendi facultatem habeant, & hoc est quadriennium illud satis notum: quomodo illud computetur in heredibus minorum & in iis qui veniam ætatis acceperunt, tradit L V D O V I C I in doct. Pand. tit. de min. Olim illud tempus annum saltem fuisse, dum annum erat officium magistratus, nec diutius durabant actiones prætoriæ rescissoriæ, verum Justinianum illum annum utilem mutasse in quadriennium in restitutione in integrum non in actione doli, ubi non erat quæstio de anno utili, non latet. Non satis expeditum tamen est, utrum quadriennium illud confessim a die, quo minor legitimam ætatem adipiscitur, an a tempore, quo certior redditur de læsione, sit computandum? BACHOVIUS ad Treutl. Vol. 1. Diff. II. §. 3. prius adfirmat & lege 7. C. de tempor. in integr. rest. nititur,

titur, in qua minoribus quodriennium ab exacto XXV.
anno, majoribus a die sublati impedimenti, currere di-
citur: posterius plerique Doctores tueruntur, ducti natu-
rali ipsa æquitate, & pro confirmanda sua sententia
hanc adferunt regulam: eum, qui nescit, experiundi
potestatem non habere: l. 6. de *Calumniis*. & hanc in
omnibus præscriptionibus admitti posse dicunt, his
exceptis quæ ultra X. annos extenduntur; nam in his
amplum satis spatium rem investigandi indulgetur, ad-
eoque ignorantia, quæ diutius durat, culpæ species vi-
detur l. ult. C. de *prescript. long. temp.* Ad legem obstan-
tem respondent, unius positionem non esse alterius
exclusionem & adlatam paulo ante regulam in omni-
bus præscriptionibus, quæ infra X. annos perficiuntur,
locum habere eamque limitationem quoque isti
legi VII. tacite inesse. vid. LEYSER in spec. LX. Med. ad
Pand. med. 5. Ex ipsa æquitate naturali minorum re-
stitutio profluxit, & hinc subscribendum esse commu-
ni æquiori sententiæ existimo, quam praxi ipsa corro-
boratam esse dicit LAVTERB. in vol. I. Diff. IX. §. 25.

§. XVII.

Cæterum ob ætatem restitutionem non impetrat,
qui quidem minorenris revera est, ast habetur pro ma-
jorenni in negotio, quod per juramentum corporale,
quod pubes præstitit, confirmavit. aub. sacram. puber.
C. si advers. vendit. Ut authentica hæc conderetur, con-
troversia insignis, quæ erat inter Martinum & Bulga-
rum, occasionem præbuit. Quæstio nimirum erat,
utrum contractus minorum invalidi, addito juramento
confirmarentur? id quod Martinus adfirmabat, Bulga-

D 2

rus

rus negabat, & ita uterque hac de cauſa apud Casarem
Fridericū l. disputabat. Bulgarus pro ſe adlegabat l. i. C.
ſi advers. vendit. & recte judicabat, illam loqui de contractu
ſtricto jure valido a minore geſto & per juramentum ad-
jeſtum conſirmato, diverſam eſſe rationem, ſi negotium
proſuſ nullum invalidumque eſſet, quod per jus jurandum
præſtitum corroborari haud poſſet. Martini aq[ui]tate in ju-
ri ſtricto præferendam & juxta jus Canon. negotio invalido,
delictum tamen aut in iuriā alterius non continent, robur,
ob vim juramenti, tribuendum eſſe ceneſebat, præſertim,
quām hāc quæſtio conſcientiam tangeret, qua ſententia
Martini arrifit Imperatori & proinde eam in cit. auth. con-
firmavit hocque modo jus canon. quod ea tempeſtate jam
magna auctoritate pollebat, juri civili præferendum eſſe
censuit; eam etiam ob cauſam minus veritati congruit, ſi
adſiſmetur, hanc authenticam tantum loqui de negotio
valido, quia hoc modo nihil novi Imperator ſancivisſet, id
quod ejus intentioni conforme tamen fuile historia con-
troverſia demonstrat. vid. BOEHMER in jur. eccles. l. 2. tit.
24. §. 23. & Guido Panzirolus de claris legum Interpret. pag. mi-
bi 102.

§. XVIII.

Neque ad hoc atatis auxilium convolat, qui dolo ma-
jo majorem ſe dixit, apud eum, qui in bona fide erat, cum
quo contrahebat minor; erranti enim minori non fallen-
ti jura ſubveniunt, malitia ſupplente, in mentientibus, atra-
tem. tit. C. ſi min. ſe maj. dix. GAIL. lib. 2. obſ. 6;. ſi vero mi-
nor ſe quidem dolofe pro majorenne gerat, aut ſe dicat
majorenne apud adversarium minorenitatis non igna-
rum, ſed id ipsum callide diſſimulantem, adhuc minoris,
etſi dolofi, ratio habenda eſt; tum, quia is, qui cum mi-
nore contraxit, ſciens eſſe minorem, non ab alio ſed a ſe
ipſo decipitur arg. l. 23. & 26. D. de rei vind. tum, quia dolus
cum dolo penfandus l. ult. §. pen. D. de eo per quem fact. quo
minus qu. in jud. ſe ſitſat eo autem utrinque peneſato, melior
eſſe debet conditio minoris de damno vitando agentis
quam

quam majoris lucrum captantis. M Y N S I N G . cent. 4. obs. 20.
 ut tamen scientiae probatio minori incumbat; quia dolus
 non presumitur, nisi adversarius sit minoris consanguineus,
 quippe presumtio est hunc aetatis non fuisse ignarum. vid. G A I L . lib. 2. obs. 6. Deneganda insuper ex capite aetatis infirma restitutio contra matrimonium, quippe quod omnis vita consortium continet & individuum, ex conjugum voto, conjunctionem, adeoque favorabilius est, quam ut aetatis obentu resloveretur. §. 1. D. de patr. potest. l. 1. D. de ritu nupt. An autem ex lubrico aetatis laisis in sponsalibus restitutione sit subveniendum, apud illos, qui augustana confessioni sunt addicti, inter J Ctos valde controversum est? Multi negant ex his rationibus.
 1) Adseverant, diversam esse rationem contractuum aliorum & sponsalium, in illis adesse vinculum juris humani, in his juris divini, adeoque illud laxari posse solvique restitutione in integrum, non hoc. 2) Sponsalia pura esse negotium ecclesiasticum & spirituale, humano arbitrio exemptum, in hoc vero aetatis auxilium desiere, quia in his minor pro majorenni censeatur 3) fundamentum restitutionis ex aequitate petendum esse, hanc vero in hoc negotio desicere, metuendum potius insigne scandalum, si his, qui fidem sibi invicem de matrimonio ineundo derident, a sponsalibus, ad instantiam unius, recedendi facultas daretur. 4) Caussas matrimoniales esse maxime favorabiles, auxilium aetatis non admittentes, 5) Lassionem in patrimonio in sponsalibus non adesse, utpote in quibus tam certum quam quod certissimum esse non agi de commercio rerum sed de coniunctione, sobolis procreandi gratia inita, de amore conjugali, de fide sponsalitia, & proinde deficere fundamentum restitutionis. Qui affirmativam sententiam tuerintur, eam his fulciant argumentis. 1) Dicunt quod ex sponsalibus contractis saepe in minorem insigne damnum redundare & hoc per restitutionem in integrum averti possit. Prator, secundus naturalem aequitatem, infirma aetati, multorum infidiis exposita,

sit, contra captiones opitulationem polliceatur; in confessio vero sit, minores persuasionibus & blanditiis non raro capiut sponsalia contrahant, omnem eorum felicitatem temporalem labefactatura, si consumanda sint matrimonio; porro prætor succurrere soleat minoribus, non solum jacturam bonorum perpeccsis, sed etiam quum intersit eorum, litibus & sumbris eos non vexari. 1. b. D. de minor, ast in litibus præjudicium tanti momenti non imineat quam in matrimonio futuro infelici. 2) quod sponsalia pura nihil in se contineant hoc beneficium ætatis excludens: minor enim imprudens restituui possit contra quævis pacta ex infirmitate consilii inita l. 7. D. de min. & sic quoque contra sponsalia, temere contracta, in quibus arctius vinculum non deprehendatur, restitutionem is mereatur. 3) Quod cesset illa ratio in sponsalibus, quæ auxilium ætatis contra matrimonia non admitteret; quippe, et si matrimonium sit sua natura indissolubile, sponsalia tamen vinculum sua natura indissolubile non operentur, variæque repudii causæ, in matrimonium minime cadentes, in iis admittantur 4) quod sponsalia non constituant ipsum matrimonium, quum despontati saltem propositum contrahendi conjugi habeant, ergo illud nondum inierint 5) quod, denegantes sponsalibus puris opitulationem adversus captiones, in erronea versentur hypothesi, sponsalia nostra pura publice contracta esse sponsalia de præsenti juris canonici, adeoque ea juxta cap. 14. X. de convers. conjug. non posse dissolvi, quum tamen Evangelicorum sacra tractantium sponsalia publica pura, in sensu juris canonici sint de futuro coniugio, atque hinc illi non recte talia sponsalia, ideo, quod sint pura, de præsenti appellant, & quæ de præsentibus in jure con. sancita, ad nostra pura adplicant. 6) Quod Prætor minoribus, mediante ætatis auxilio, succurrat in negotiis alioquin agre dissolutionem admittentibus & magna auctoritate pollentibus v. g. iis etiam contra rem judicatam, magni ponderis negotium, l. I. C. si advers. rem jud. it. contra transactionem, probata

lx-

lassione, l. i. C. si advers. transf. restitutionem impertiatur,
 sponsalia vero, in quorum dissolutione saltem privatum
 alterius jus violetur, quia sibi auctoritatem talem, quali
 gaudeant res judicata, transactio &c. in quarum rescissio-
 ne publicum bonum detrimentum aliquod capiat, vindi-
 care non possint; hinc multo magis contra ea restitutio
 locum invenire debeat. conf. BOEHMER in jur. eccles. lib.
 4. tit. 1. §. 79. sequ. qui vir celeberrimus affirmativam sen-
 tentiam his rationibus magni momenti propositis a me de-
 fendit cum aliis viris ibi allegatis inclytis. quam & ego ample-
 cit non dubito. Nunc ad quādam alia adhuc tradenda
 pervenio in quib[us] artas infirma allegari non potest, scil.
 contra delictum, utpote quod non artate, sed innocentia
 est purgandam l. 7. C. de pen. l. 1. 2. C. si advers. delict. hoc
 tamen non impedit, quo minus interdum miseratio artatis
 ad mediocrem poenam Judices commoveat l. 37. §. 1. D.
 de min. atque etiam facta quādam in minoribus pro de-
 licitis non reputentur, ac impunita sint; dum ab artatis
 lubrico creduntur profecta, qua a majoribus perpetrata
 efficerent delicta poenamque mererentur l. i. 2. C. si ad-
 vers. delict. Quod si quis demum, dum in arte versatur,
 quam profitetur, lassus sit, tunc restitutio non indulgen-
 da, quum, qui propriam allegat turpitudinem, haud au-
 diendus sit; & sic, licet JCTo, in facto quodam lasso, resti-
 tutio beneficium non videatur denegandum, tamen, si
 in iure errans lassionem subierit, ad artatis auxilium vix ad-
 mittendus; nam turpe in eo est jura ignorare. Scilicet,
 ut hoc illustretur, sunt quidam optime docti in jure mi-
 nores, sed sc̄e non recte tractare sciunt rem familiarem,
 nil minus interdum quam ex consilio se regunt & da-
 mnū proinde rerum suarum non leve faciunt: quāritur
 ergo an tales restituendi? adseverandum credo, quia non
 a juris imperitia, sed magis ab inconsulta facilitate proces-
 sit lasso: sed ex opposito, si ii v. g. hæredes instituti lega-
 ta integra solvissent Falcidiæque detractionem omisissent,
 ignorantes ipsis jus quartæ retinendæ datum, sola juris im-
 pe-

peritia damno caussam dante , restitutione juvari haud-
quaquam possent. Plura, in quibus &tas nihil auxillii mi-
nori, ad restitutionem confugienti, adfert, videri possunt
apud's FRUV. in syntag. jur. civ. exerc. 8. apbor. st. sequ. &
PETRVM MÜLLER in notis,

§. XIX.

Ego hisce colophonem specimi meo inaugurali im-
pono. Quamvis me non lateat, in materia restitutionis
minorum in integrum, ex capite primo &tatis, adhuc va-
ria notatu haud indigna exponi potuisse: instituti tamen
ratio breviorem tractationem thematis hujus mihi injun-
xit. Quodsi benevolo Lectori leve meum scribendi ge-
nus adprobandum videbitur, magnam mihi hoc excitabit
latitiam; si vero in eo a me erratum deprehendet, veniam
ingenio imbecilli dabit, atque a mortali etiam quidquam
perfecti non expectandum considerabit. Ad Deum jam
preces mitto ardentissimas; aliud enim amplius reliquum
esse mihi non videtur: velit agentibus &tatem infirmam,
firmatam, robustam fene&ctutemque gratia sua adesse, ut
quisque horum suam &tatem in gloria DEI O. M. ampli-
ficanda atque aliorum hominum provehenda ve-

ra utilitate consumat!




ERFURT, Diss., 1730 (1)



TA → DC





P. 26. num. 25. P. S. 36.

24

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,
DE
MINORVM RESTITV-
TIONIS IN INTEGRVM
PRIMO CAPITE
S. V.
DE ÆTATE INFIRMA,
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE
CONSENTIENTE,
IN PERANTIQA ACADEMIA ERFORDIENSI,
SVB MODERAMINE,
VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI AC CELEBERRIMI,
DN. ERNESTI TENZELII, JC^TI,
EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIP. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
JVDICII PROVINC. AC FACVLT. JVRID. ASSESS., EJVSDEMQVE H. T. DECANI,
NEC NON CIVITATIS CONSULIS PRIMARI,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET
PRIVILEGIA, RITE AC SOLENNITER,
CONSEQVENDI,
PEPUBLICO ERVITORVM EXAMIN,
IN AVDITORIO COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.
SUBMITTIT,
OTTO JOHANNES GOTTLIEB
ZIMMERMANN, Philos. Mag.
BRESLENZO - LUNEBVRGICVS.
DIE XXVI. JULII ANNI M DCC XXX.
ERFORDIAE, Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE